Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 705

Quelle:
Copyright:

tium est: *Tria sunt in quibus precipue lex diuina consistit* &c. *Particulam* quamvis praeit elenchus *Capitum* seu potius Conspectus totius *Particulae;* non enim numeri congruunt. Ita elenchus *Part.* I. censet *Capitula* XXVI. cum reipsa sint XLVI. et in impressis plane LXIV. et sic de aliis. Nil tamen propterea Operis integritati deest. Finit *Lotharius* post expositum Missae Canonem his verbis: *totum* (Canonem) *continue censui subscribendum.* Omiserunt illum *Lipsienſis* et *Colonienſis*, non vero *Codex* noster, in quo *Capitibus* XII. distinctus exacte legitur. Confer, si lubet, etiam *Cod.* DCCXCIX.

CCXXVI. VIII. F. 10.

466 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 144. 4. per duas columnas bene exaratus, rubricisque distinctus hanc Notam praefert: *Iste liber pertinet Conuentui fratrum sancte Crucis Canon. Regular. Domus Colonien. quem contulit nobis dilectus pater et confrater noster Johannes de castro vulgariter torborch. quondam prior noster. nunc autem in benthlage monasterien. dioc.* cui tamen alia manus adjecit: *Dono habui* et *habui dono cum alijs.* Continet porro Sequentia: I. *De Sanctis post pascha Secund. Johannem. Ego sum uitis uera* &c. *Omelia beati augustini episcopi.* Incipit: *Iste locus ewangelicus ubi se dominus uitem et discipulos suos palmites* &c. Et finit: *per ineffabilem gratiam Verbum caro factum est et habitauit in nobis.* Itaque tres hic *Tractatus in Johannem* videlicet LXXX. — LXXXII. prout extant edit. *Maur. Paris.* T. III. P. 2. *col.* 702. in unam *Homiliam* coaluere non adeo oculatum scriptorem nacti, ut qui varia transsiliit. Malo tamen mox sub principium cum eo: *fecit autem labruscas*, quam cum edit. *fecit autem spinas.*

II. *fol.* 5. a *Nesselii* manu: *S. Bernhardi Vitis Mystica seu Tractatus de Passione Domini*, cujus initium: *Jesu benigne, uitis uera, lignum uite* &c. et finis: *finemque sacramus optimo et dulcissimo ihesu. Amen.* Transtulit *Mabillonius* in Opp. *Bernardi* edit. *Paris.* 1690. *Vol.* II. *T. 5. col.* 427. ad Ανωνυμον *pium nec indoctum nec inelegantem.* Textus noster correctior edito. Melius enim *benedicte flos*, quàm *benedictus. proprietates notare* quam *nominare. nec tantum naturam istius uitis, sed etiam ea* quam *nec tantum ea. Et primo quidem occurrit quod* quam *Et primo quidem quod plantata est* pro *plantatus* &c.

III. *fol.* 52. p. 2. *Incipiunt Soliloquia bernhardi.* In edit. *cit. col.* 199. tribuuntur *Guillelmo* Abb. S. *Theodorici* titulo *de contemplando Deo* cum *Prooemio*, quod *Codex* noster ignorat, qui infit: *Uenite ascendamus ad montem domini* &c. et in alias particulas sectus est, quam quidem in Editis. Ultima sunt: *te adoramus et benedicimus tibi gloria in secula.* Post quae rubro notatum: *Item de*